

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10



1653.

1^a Couingius, Hermannus: De civitate in genere
considerata 2 Exempl.

2^a Couingius, Hermannus: De republica in communi
2 Exempl.

3. Hahn, Henricus: De alienationibus. Rec. 1745-

4. Hahn, Henricus: De injuriis circa personam et vel
honorem.

5. Hahn, Henricus: Disputationum ad Cod. VII ex l. 1, 2, 3
et insert. authent. usque ad l. 14 de ss. eccles. et de
reb. et priv. cas.

6. Hahn, Henricus: Disputationum ad Cod. VII ex l. 14 et
segg., cum insertis authent. et finem de sacrosanctis ecclesiis
et de rebus et privilegiis earum.

6^a Hahn, Henricus: De mutuo universitatum

1654.

1^a Couingius, Hermannus: De republica antiqua vete-
rum Germanorum. 2 Exempl.

2. Felder, Johannis, a : De regimine civitatum et gentium, potissimum ratione prudentiae legislativae vicerum et similis.
3. Hahn, Henricus : De mutuis petitionibus et mutuis accusationibus
4. Hahn, Henricus : De legationibus, sive legatorum auctoritate, privilegiis
5. Hahn, Justus et Nulcorius, Christianus Wilhelmus : De anticategoris
6. Wernerus, Georgius : De jure succedendi in rebus expeditoris et auctoribus . . .
7. Wernerus, Georgius : De societate .
8. Wernerus, Georgius : De jure delictorum . . .
9. Wernerus, Georgius : De restitutionibus in integrum

ial
is
r.
n
p
v
p
p



Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of items.

Handwritten marks on the left margin, including a vertical line and several small characters.



DISPUTATIO IURIDICA
DE
MVTVO VNI-
VERSITATVM

QVAM
DEO AVXILIANTE

PRAESIDE

*Viro Amplissimo, Consultissimo, atq̃
Excellentissimo*

DN. HENRICO *Sahnen* / ICTO,
CODICIS IN HAC ILLVSTRI IVLIA
PROFESSORE, FACVLTATIS IURIDICÆ
SENIORE, DICASTERII GVELFERBYTANI
ASSESSORE &c. DN. PRÆCEPTORE ATQVE
PROMOTORE SVO PLVRIMVM
OBSERVANDO,

PVBLICO SVBIICIET EXAMINI

HERMANNVS MEIERVS

SLESVICENSIS

Ad d. Augusti

Helmeſtadi

HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI

clō lō c lll.



225

1653, 6a

9/

1802

192

DISPUTATIO IURIDICA
DE

MVTVOVINI
VERSITATVM

IN

DEO AVXILIANTE

PRAESIDE

Nro Amplissimo, Consistorio, etc.
Excellentissimo

DR. HENRICO JOHANNI IUSTO
CODICIS IN HAC UNIVERSITATE
PROFESSORE, FACULTATIS IURIDICAE
SENIORE, DICASTRII GALLIENSIS
ASSessore ac DIRECTORE ATQUE
PROMOTORE SVO PLVRIMVM
OBSERVANDO,

PUBLICO SUBICIT EXAMINI

HERMANNVS MELLERVS

SESVIGENSIS

Abd. 1771

(1771) 10

Helmstedt

Typis Henningii Mollerii

cl. 1771





ΣΥΝ ΘΕΩ



ostquam Philosophus libro quinto Ethicorum cap. 5. duas permutandarum & ad æqualitatem revocandarum rerum proposuisset rationes, indigentiam scilicet & nummum, earumque unam naturæ, alteram inventioni hominum originem suam deberi dixisset, primæ illi & antiquissimæ inter alia tribuit, quod πάντα συνέχει, h. e. omnia,

Indigentia est causa permutacionis

quæ in societatem cadunt, latissimo suo ambitu comprehendat, adeoque firmissimum ejus sit fundamentum. Cujus assertionis veritatem quotidiana docet experientia. Cum enim plurimæ res ad vitæ nostræ sustentationem nobis sint necessariae, nec omnis Regio omnia producat, quippe cum hic segetes, illic veniant felicius uva, nata est mutua inter homines officiorum communicatio & bonorum permutatio, sine quâ societas & vita hominum subsistere, & ab incommodis immunem se præstare nequaquam potest.

II. Quod ipsum confirmat acutissimi ingenij nec minoris judicij Ictus Franciscus Connanus, commentariorum iuris civilis lib. 5. cap. 2. Hic enim communes utilitates sic in medium afferendas esse svadet, ut officiorum commutatione dandorum & accipiendorum, retineri possit hæc hominum inter se societas. Hic itaque arte & operâ sua, ille opibus & rerum suarum facultatibus, alius quidem alio, sed quisque eo quo potest modo tum sibi consulere, tum alijs prodesse studeat.

Et vicium humanæ societatis.

III. Cæterum conventiones de istiusmodi quæ sunt utilitatibus, quum ad effectum perducuntur, factâ nimirum rerum operarumve commutatione, nominantur contractus. Quos non solum singuli, sed & plures, imo quævis societates

Quid sint contractus?



publicè approbatæ, vulgò universitates appellatæ, celebratæ, iisdemque se obstringere possunt.

Universi-
tates quo-
que con-
tractus
possunt
celebrare.

IV. Cui rei non minus quam infinitis alijs summa Imperatoris nostri prospexit prudentia, tot latis circa ejus observationem legibus, quas videre est in Titulis, qui *de vendendis rebus civitatis, de Debitoribus civitatum, de diversis prædijs urbanis & rusticis templorum & civitatum & omni rebus civili, de locatiõne prædiorum civilium vel fiscalium sive templorum sive rei privatae vel dominicae &c.* in Codice reperiuntur, & textibus in *l. civitas 27. ff. de R. C. auth. hoc ius porrectam C. d. SS. eccles. auth. licentiam. C. de episc. & clericis. Nov. 126. cap. 6. vers. fin. Novel. 131. c. 13.* Qui textus cum de civitatibus partim, partim de Ecclesijs & monasterijs agant; ab interpretibus ad alias quoque universitates extenduntur.

V. Quanquam non ex legibus solùm, sed & naturã justitiæ commutativæ, idem constat. Hujus enim vi cum quisque tantum reddere, quantum acceperit, cogatur, quã fieret, ut huic non minus obnoxij essent universi, quam singuli?

Infer quos
maximè
celebris
est ex mu-
tuo obli-
gatio.

VI. Omnium verò obligationum, quibus universi tenentur, maximè celebris est quæ proficiscitur ex mutuo. Et huc referendum, cum vel ordines provinciales, vel monasteria, vel civitates, omnisque alia societas, urgente aliquã necessitate, quodcum aliãstum præsertim illo non pridem elapso belli per Germaniam tempore factum, mutuam ab alijs pecuniam sumere sunt coacti.

VII. Quæ res cum non parvas, easque satis diuturnas necdum omnes sopitas passim excitaverit controversias, adeoque digna videatur quæ veniat in considerationem, videbo, an quid justum injustumve ejus sit, ex veris juris principijs possim declarare,

Equivo-
catio.

IX. Quod priusquam à nobis fiat, investiganda erit veravocam mutui & universitatis significatio. Quod ad illam; Vel adjectivi officio fungitur, & tunc idem est quod reciprocum seu parimodo respondens, quemadmodum in amantibus videmus quorum amor non habetur verus, nisi sit mutuus; vel Substantivi; & tunc vicissim variè usurpatur. (1) de proprio mutui contractu. *§. 2. inst. de I. N. G. & C.* (2) pro commo-
dato

dato l. item legato. 49. §. 2. de legat. 3. (3) pro re, quæ mutuo datur, quo sensu dicitur mutui datio. l. mutuum 2. §. 4. ff. d. R. C. (4) pro obligatione ex contractu hoc orta, ut cum dicitur mutuum contrahi, Pac. rr. secundo de contract. c. 1. §. 3. Nos substantive vocem capientes primam eius significationem attendimus, Definitio mutuum ita definiētes: quod sit contractus, quo rem aliquam, mutui. cuius usus proprius in abusu consistit, alteri in abusum damus, ut aliam ejusdem bonitatis restituat.

IX. Universitatis nomine venit vel totus mundus, Cicero Equivo. in lib. de universitate. vel grex, peculium, armentum equitium, catio. l. quid ergo 70. §. 3. ff. de usufructu & quemadm. quis. vel hereditas, bonorum possessio l. post. 1. pr. d. R. V. l. ait. 1. §. 1. ff. quor. bonorum. vel corpora sodalitatis, collegia, ac quævis societates publice approbatae t. t. Quod cuiuscunq; universitatis nomine. Posteriores significationem amplectimur universitatem in genere cum Dn. Definitio universitatis. Frantzkio comment. in ff. t. quod cui. univ. n. 2. definiētes: quod sit corpus ex distantibus personis collectum, seu persona quædam ficta & mystica ex pluribus naturalibus quasi abstracta. Quemadmodum enim ex innumeris membris homo efficitur unus; ita ex varijs hominibus una colligitur societas.

X. Explicata vocabulorum ambiguitate ad ipsam rem accedemus, quod ut eo fiat commodius 1. Quomodo mutuum Divisio disputationis in tria capita. universitatis perficiatur, 2. Qui perfecti sint Effectus 3. Quomodo dissolvatur dicemus.

XI. Ad prius membrum intelligendum, considerandæ nobis veniunt Personæ quæ contrahant: Modus quo contrahitur: & Res de quibus contrahitur. Personæ sunt duorum generum, quæ sc. dare mutuum universitati possunt; quæve universitates accipere.

XII. Dare possunt quid dominium & liberam rerum suarum habent administrationem, nisi quibus nominatim à lege hoc sit interdictum. argum. l. nec non. 28. §. 2. ex quibus causis maiores. Quare pupillus, cum liberam bonorum nondum habeat administrationem, mutuum sic dare nequit. §. 2. inst. quib. alien. licet vel nen. Si itaque res, à pupillo mutuo data, adhuc exstet, vindicari ea potest; dominium enim non discessit à pupillo. Si

verò eadem consumpta sit & mala quidem fide, potest agi de eâ ad exhibendum. *d. §. 2.* nam qui dolo malo consumsit, pro eo est, ac si non consumpsisset, quia dolus pro possessione est. *l. qui dolo 131. d. R. I.* Si vero is qui eam accepit bonâ fide consumserit mutuum reconciliatur & conditio datur *d. §. 2.* Quia ejus factio intelligitur ad eum qui accepit pervenisse. *l. non omnis. 19. §. 1. ff. d. R. C.* Quod locum habet, etiamsi pecunia amissa fuerit: consumptio enim tantundem operatur, quod translatio dominij à principio facta. *l. indebiti 15. §. 1. ff. de condict. indeb.*

Ve & furiosus.

XIII. Pariter furiosi, mente capti, dementes & fatui mutuum hoc dare nequeunt. *l. in negotiis 5. de R. I.* Si tamen furiosus alicui universitati dederit, idque consumptum fuerit, ex jûris interpretatione mutuum convalescit. *l. si à furioso 12. ff. d. R. C.* Dilucidâ autem intervalla furiosus si habet, intermissioni tempore mutuum dare potest. *l. emptionem 2. C. de contrah. empr.*

Item prodigus.

XIV. Quod autem de Furioso diximus, id de prodigo quoque est intelligendum. *l. 1. in pr. ff. de curator. furios.* Non autem sufficit ut quis istiusmodi corruptis sit præditus moribus, (hunc enim Icti prodigum non agnoscunt) sed requiritur ut præviâ diligenti inquisitione à Magistratu talis declaretur, curatore dato, eique bonis interdictis. *§. 3. inst. de curator. l. 1. & 10. ff. de curat. furios.* Alium tamen sibi efficaciter obligat, maximè si pecunia credita bona fide ab universitate consumpta sit. *arg. l. certi 9. §. 7. ff. de R. C. l. is cui. 6. ff. de V. O.*

Ac Minor.

XV. Minor quoque propter interdictam bonorum administrationem atque alienationem hîc pecuniam credere prohibetur. *l. si curatorem 3. C. de in integr. restit.*

Rectores quoq; provinciarum

XVI. Rectoribus item provinciarum, quive circa eos sunt, non solum legibus sed & principalibus constitutionibus hoc interdictum est. *l. principalibus 33. ff. d. R. C.* Cujus legis exquisitas Andr. Alciatus *comment. in d. l. n. 2. & seqq.* attulit rationes.

Crederet vero possunt Præfides provinciarum officiales.

XVII. Officiales autem quos habet de Provincia Præses, quia perpetui sunt, mutuum universitati pecuniam dare & fœnebrem exercere possunt. *l. præfides 34. d. t.* Præsides vero perpetui pecuniam fœnebrem dare non possunt, ut existimat Thomas Lind-

Lindemannus in *Synoptica exegefi contractus mutui cap. 1. §. 43.*
Hodie cum provinciarum Præsides jure quidem feudi, attamen perpetuo & quasi hereditario territoria possideant & gubernent, ideo mutuum & singulis & universitatibus liberè dant, prout in Germania experientia testatur, & in Gallia receptum esse notat Gregorius Tholosanus in *Syntagm. suo l. 22. c. 2. n. 27.*

XIIX. Cæterum Prælatus pecuniam ecclesiæ mutuum dare nequit. *Archi. in ca. 1. 12. q. 2.* Sed indigentibus dare non prohibetur, imo Christus ait *Luc. cap. 6. mutuum date nihil inde sperantes.* Nam cum Ecclesia teneatur eis elemosynam largiri. *cap. quoniam. 16. q. 1.* multo magis mutuum pecuniam dando debet eis subvenire. *Host. in c. 2. in pr. de solutionib.* Sed si Rector Ecclesiæ nomine suo mutuum pecuniam dederit, ex bonis ecclesiæ præsumitur eam acquisivisse: & ideo qui eo defuncto succedit in beneficio, potest eam repetere, nisi tempore promotionis proprium habuerit patrimonium, vel industrius fuerit, ita ut jure permittente potuerit sibi acquirere, ex sententia Baldi. *in auth. licentiam n. 3. de Episcop. & cler.* Verum cum jure naturæ, primitivæ Ecclesiæ, & Codicis Justiniani, Episcopi peculium seu bona propria habeant, *l. 34. & auth. licentiam d. 1.* dubium non est, quod illi quoque apud Augustanæ confessionis asseclas rectè dent mutuum universitati.

Prælatus,

XIX. Civitas autem rectè civitati alteri mutuum dare potest, *l. nihil 15. ff. ad SC. Maced. arg. l. si pignus 8. qui pot. in pign.*

Civitas

XX. Filiusfamilias ex peculio suo castrensi vel quasi, imo & adventitio justè credit pecuniam universitati. *l. cum filiusfam. 17. ff. d. R. C. §. 1. inst. per qu. person. cuiq. ac.* Profectitiam autem si crediderit, mutuum quidem firmè contrahit, sed sibi tantum in factum vel extraordinariam *l. in factum 13. ff. d. O. & A. patri vero directam acquirat actionem. l. cum operet. 8. C. de bonis que liber* Mulier denique hicce mutuum dare non prohibetur, *l. sed si ego 4. §. 1. ad SC. Vellei.*

Filiusf.

Mulier,

XXI. Et tantum de iis, qui universitati vel dare possunt mutuū vel minus: Porro, cum nemo nisi accipienti dare possit, de
ijs

ijs

ijs quoque universitarum speciebus, quæ accipere possunt vel minus, nonnulla differemus.

Accipere
possunt,
civitas,
Ecclesia
&c.

XXII. Accipere possunt Provincia, civitas, castrum, villa, & huiusmodi, quæ sunt quid universale, & quædam universitatis nomina, continentia in se jura universitatis scilicet jurisdictionem, honorem, territorium, districtum, & pertinentias. Collegia quoque probata; Ecclesia, & aliæ religiosæ domus veluti hospitale, monasterium seu claustrum pecuniam sumere mutuam valent. *l. civitas 27. ff. d. R. C. c. pen. de fideiuss. auct. hoc ius porr. d. SS. eccles.*

Modus
i. Substan-
tialia,

XXIII. Hactenus de personis. Nunc ad modum, quo mutuum universitatis contrahitur, progrediemur. Continet hic substantiam, naturam, & accidentalia hujus contractus.

(i) Datio
& acceptio

XXIV. Ad propriam hujus contractus substantiam requiritur primo ipsa mutui datio & acceptio. Dationem seu Traditionem voco actum, quo alter dominus, rem transferendo, esse desinit alter vero incipit accipiendo. Nisi enim talis actus interveniat, necesse est dominium nondum esse translatum, nec alienationem perfectam esse.

Quo tu-
plex tradi-
tio?

XXV. Est vero traditio vel vera vel ficta. Illa fit vero rei interventu, & quando res accipienti traditur ita ut dominium in mutuatarium transferatur; Hæc à lege intervenire fingitur & quidem dupliciter 1. per consumptionem rei creditæ bona fide factam. *l. non omnis 19. l. 1. ff. d. R. C.* Cujus ea est natura, ut aliam sui generis supponat, quæ suam vicem fungatur: qua vice fungenda quasi per se ipsa transfert sui dominium ad debitorem qui utitur ipsa, & aliam similis generis sibi substituit, quæ vero domino reddatur. ut si pecuniam tuam accepi mutuum à fure, & consumpsi: ea ipso usu mea fit: & eandem summam sibi similem suo loco reponit, tantundem sc. meæ pecuniæ, quæ furi debeat, ut eam ipsam tibi vero domino reddat quod si fiat, tua tibi videatur reddita. *Conn. lib. 7. c. 1.*

XXVI. 2. Traditio inducitur, per fictionem brevis manus, conjungendo nimirum plures actus, ut in uno quodammodo occultentur. *l. hæc ratio. 3. §. 12. ff. de donat. int. vir. & ux.* Hanc Bachovius ad §. 44. *inst. de R. D.* non malè ad tres revocat

revocat modos (1) quæ in tribus personis contingit, ut si eum, qui mihi dare volebat vel debeat, jussero tertio dare: perinde enim est ac si res primo mihi data, & à me ad tertium profecta esset, ut si debitor alteri mutui constituendi gratia solvat. *l. singularia 15. ff. d. R.C.* (2) in duabus personis ut si Seio lancem vel massam auri dem, ut vendat & nummis utatur: *l. rogasti 11. d. 1.* (3) in una persona, ut si pecunia ex mandato debita, pacto mutua fiat *d. l. 15.* Cui legi contrarius est Africanus in *l. qui negotia 34. Mand. asserens*, pecuniam hoc casu non fieri creditam, nec mutuum contrahi. Vlpiani tamen sententia recepta est, & eam æquiores verioresque esse demonstrat Cujacius *Tr. 8. ad Africanum in d. l. 34.* Neque dubium est, quin & in mutuo universitatis hujusmodi traditio suo tamen modo contingat.

XXVII. *Secundo* ad formam hujus contractus à parte mutuatarie universitatis pertinet obligatio ad rem reddendam: cum sub eâ omne mutuum contrahatur *pr. inst. quib. mod. re contr.* & alioquin donatio esset. (2) obligatio ad rem reddendam.

XXVIII. *Tertio* denique ad perfectam hujus contractus constitutionem pertinet quoque, ut non nisi universitati obligandæ idonei pecuniam accipiant mutuam. Hi autem ut ipsæ universitates ita ipsi quoque variant. Nobis de ijs primum, qui pro civitate accipere possunt, sermo erit. Cujus rei non melior erit tractandæ ratio, quam si distinctionem inter Rerum publicarum formas, puras & mixtas, rectas atque aberrantes attendamus. Harum enim considerata naturâ, quinam de accepto mutuo sint obligati satis apparebit. (3) ut illi accipiunt, qui universitatem obligare possunt.

XXIX. Et in regno quidem, Aristocratia, & populari statu, si ille, qui contracturus est nomine civitatis, huic officio ideo præfectus fuerit à Rege, vel optimatibus, vel toto populo, ut contrahat civitatis nomine, eamq; obliget, non est dubium, quin tota civitas firmiter obligetur; nec detur restitutio, si læsa fuerit; nec opus sit probare creditori rem versam in civitatis utilitatem. Potest etiam fieri, ut contractus celebretur non per alium, sed ab ipso Rege, ab ipsis optimatibus, & ab ipso populo vel singulatim omnibus vel conjunctim per tribus, & Qui nomine rectarum Rerump. creditum accipere possunt

B

codem

eodem modo valet cōtractus; nihilque refert, seu benè seu se-
cus pecunia mutuo accepta impendatur, modo de harum
Rerumpubl. constet rectitudine, quin Resp. ad solvendum mu-
tuum sit obligata.

Qui in vi-
tiosis re-
busp. cre-
ditum ac-
cipere ne-
queunt?

XXX. Aliter res se habet cum rebusp. vitiosis, quarum
ut rectè ita & ipsæ numerantur, tres, Tyrannis, Oligarchia, &
Democratia, in his enim qui præsumunt, cum suis tantummodo
rebus rationibusque consulant, & in privatam primario impe-
rent utilitatem, subditos suos invitos & non consentientes ob-
ligare nequeunt. Illarum ergo, si Tyrannus, divites, vel pau-
peres, qui præsumunt, mutuum publicæ non impederint utilitati,
nullatenetur mutuum reddere. Coler. de process. exec. p. 2. c. 3.
n. 343.

XXXI. Et hæc de rebusp. quæ dicuntur puræ. Caterùm
cum Aristoteles, optimus civilis prudentiæ magister, 4. Polit. c. 8.
Oligarchiam cum democratiâ misceri posse asserat, indeque
salutarem oriri formam declaret, quæ ratio mutui in statu
mixto sit observanda, consequens est ut perpendamus. Præ-
sertim cum pleræque hodiernæ civitates ejusmodi sint respu-
blicæ.

Quid in
mixtis re-
busp. ob-
servandū?

XXXII. Hic itaque summa est adhibenda cautio num, ab
omnibus partibus civitatem constituentibus sit constitutus qui
contractui præfuit nec ne: si ab alterâ parte, cum civitas æquis
partibus ad utrumq; pertineat, contractus infirmus est, nec civi-
tas tenetur; sin vero ab omnibus & utraq; parte, obligatio valet.

XXXIII. Si itaque hujusmodi civitati mutuari velis, di-
spicias prius, an Magistratus mutuam pecuniam sumens ple-
nam ærarij publici dispositionem ex populi consensu habeat,
atque adeo totum populum vel solus, vel cum quibusdam ex
civium numero repræsentet.

XXXIV. Ex quibus liquido constat, si Consules atque
Senatores, quibus gubernandæ Reip. cura apud nostros de-
mandari solet, pecuniam mutuo sumant, non propterea omnes
cives illius civitatis contraxisse videri: cum illi non omnes cives
adeo repræsentent, ut si quid communi omnium horum con-
sensu constituendum sit, id non vocatis alijs expedire queant.
Hartm. Pist. 9. 37. n. 5.

XXXV. In

XXXV. In plerisque enim civitatibus ultra senatores, certi sunt magistratus, qui, ut olim apud Romanos tribuni plebis, partes populi tuentur, & quibusdam in locis Gildenmeister/ in alijs vierdels sive Zunffmeister/ in alijs vero aliter vocantur. Hi nisi fuerint convocati, senatus totam civitatem non repraesentat, neque absque his communi civium consensu quippiam esse gestum dicitur.

XXXVI. In rep. democratica caute procedendum & imprimis inquirendum, an certis administratoribus & civibus ararij plena cura commissa, & libera potestas pecuniam mutuam accipiendi concessa sit. Hoc si factum, Thesaurarij seu Quæstores illi mutuam justè sumunt pecuniam. Sin vero sine populi consensu administratores mutuo sumant, firmitatem consequitur suam contractus, quando pecuniam in rem civitatis versam esse constat. Syndicus tamen ex mandato populi speciali constitutus rectè accipit, licet pecunia in civitatis utilitatem non vertatur. Et tantum de civitatibus.

XXXVII. Pro Ecclesie necessitate Prælatus & capitulum mutuam accipere possunt pecuniam, & versionis probatione non opus est, Bartolus in *auth. hoc ius C. d. SS. Eccles.* Solus itidem prælatus, episcopus vel rector mutuam quoque nomine ecclesie rectè sumunt pecuniam, Guilielmus Redeoanus in *tractatu de rebus ecclesie non alienandis quest. 4.* An vero capitulum sede vacante sine superioris auctoritate possit mutuam pecuniam accipere pro necessitate ecclesie, explicat Iohannes Franciscus de Pavinis *tr. de officio & potestate capituli sede vacante. in 2. par. principali. q. 8. num. 20.*

Qui pro ecclesie necessitate mutuam accipere possunt

XXXVIII. Quod autem pecunia mutua data officiali civitatis, Ecclesie, vel alterius universitatis, fuerit versa in ejus utilitatem, probare debet creditor, qui agit, quia ex hoc fundat intentionem suam, quæ est obligatio ex causa mutui, versi in rem universitatis. *l. un. C. de solutionib. & liber. debit. civ. lib. 11. Auth. hoc ius porr. C. d. SS. eccles. l. si pradium 16. C. de prædijs & alijs reb. min. & c. Matth. Coler. de process. exec. p. 2. c. 3. n. 340.*

Quis debeat probare pecuniam in utilit. universitatis versam fuisse

XXXIX. In quibus vero casibus creditori necessarium sit, vel minus, probare pecuniam mutuam versam fuisse in utilitatem



litate[m] civitatis vel Ecclesie videamus. Quod autem de his dicemus, id de alijs quoque universitatibus non sacris intelligi potest.

Quando
creditori
versio in
commo-
dum civi-
tatis pro-
banda non
venit,

XL. Primus casus est, quando omnes & singuli cives convocati mutuam acceperunt pecuniam, creditor non opus habet probare pecuniam fuisse versam in civitatis utilitatem. Secundus, quod concilium civitatis, vel congregatio generalis ex mandato consilij mutuam pecuniam accepit, vel si Syndico in presentia collegij data fuit, versionis probatio non est necessaria. Ripa in l. si is, qui bona. num. 10. ff. de pignor. Zasius in l. 1. §. si iusserim, n. 9. ff. de acqui. pass. Tertius, quando consilium mutuam pecuniam non accepit, sed administrator civitatis vel Syndicus, qui mandatum habet speciale versio probari non debet. Nic. Losæus de iure universitatis part. 3. c. 4. n. 11. Quartus, quando Syndicus civitatis mutuam pecuniam accepit nomine civitatis, nec habuit speciale mandatum: sed postea concilium generale civitatis id ratum habuit, versio probanda non venit. Bald. in d. l. civitas. col. 2. vers. quid autem si civitas. Quintus, quando Syndicus habet mandatum à consilio civitatis, ut mutuam pecuniam accipiat in certam causam, & ipse eo tempore, quo pecuniam accepit, asseruit, se in eam causam recepisse versionis probatio non est necessaria. l. 1. §. 10. ff. de exerc. actione. quam ad hoc adducit Bartol. in d. l. civitas n. 7. vers. sed si erat ei concessum. Sextus, quando mutua pecunia data est administratori civitatis absque speciali mandato, sed ipsa civitas per magistrum exercet artem aliquam quæstuariam, versionis probatio non requiritur: quia in hoc casu non utitur jure speciali, sed communi. l. lucius 7. ff. de exerc. act. vid. Franciscum Card. Manticom de sac. & ambig. convent. lib. 8. tit. 13.

Quando
creditor
versionem
pecuniae
in Ecclesie
utilit. non
tenetur
probare?

XLI. Nunc de Ecclesia dicemus. Et (1) quando pecunia fuit mutuo data prælato, præsentem & consentiente capitulo, & agitur de alienandis bonis mobilibus minimè pretiosis ipsius ecclesie pro mutui restitutione, creditor necesse non habet probare pecuniam fuisse versam in utilitatem Ecclesie (2) Quod pecunia fuit mutuo suscepta à solo prælato, qui & tempore restitutionis faciendæ vivit, & qui restituere potest absque distractione

231.
dione bonorum immobilium ecclesie, non exigitur à creditore versionis probatio. (3) Qu. mutuum fuit factum singulari personæ, puta uni ex Canonicis, vel Monacho, cui à toto capitulo data sit facultas suscipiendi illam certam summam à se mutuo sumtam, versionis probatio à creditore non requiritur. Quando vero (1) pecunia fuit mutuo data Præfato consentiente capitulo, & agitur de alienandis bonis ecclesie immobilibus, vel mobilibus pretiosis, ut pecunia illa restituatur, tum creditor tenetur probare pecuniam fuisse versam in Ecclesie utilitatem. (2) Qu. pecunia fuit mutuo sumta à solo Præfato, qui tempore restitutionis faciendæ non vivit, licet de distractione rerum immobilium non agatur, tamen debet creditor probare versionem. (3) Qu. mutuum fuit datum canonico vel Monacho, cui non fuit taxata ab ecclesia pecuniarum summa mutuo accipienda: sed iste habebat administrationem alicujus villæ, vel alterius rei cum libera potestate; asserens se pro utilitate illius villæ mutuam suscipere pecuniam, debet creditor versionem probare. (4) Qu. mutuum fuit factum singulari personæ, cui libera omnium bonorum Ecclesie concessa est administratio, & illa suscipiendo mutuum dixerit se illud pro utilitate ecclesie sumere, pariter creditor versionem probare tenetur. (5) Qu. mutuum datum personæ, habenti mandatum ad sumendam mutuo certam summam, & illa excessit modum, creditor tenetur probare majorem illam summam versam fuisse in ecclesie utilitatem. (6) Qu. certa summa mutuo suscipienda ex ordinatione ecclesie fuit sumta à Canonico vel Monacho, sed sine mandato ei facto, creditor eam pecuniam in ecclesie utilitatem versam fuisse probare debet. Hæc ex traditionibus Abbatis & aliorum in capitulo penultimo X. de fideiussoribus referunt Guilielmus Redoanus in rr. de rebus eccles. non alienandis in ea quest. an & quomodo ex mutuo obligetur ecclesia & Iacobus Menochius de arbitrariis iudicium libro 2. casu 432. à n. 3. usq. ad 33. Quibus addi possunt Iosephus Mascardus de probationibus. vol. 3. conclus. 1160. Ludovicus Molina de iustitia & iure, tract. 2. disp. 300.

Quando à creditore probatio exigitur?

An, quæ
hæcenus
dicta et-
iam in cæ-
teris con-
tractibus
habeant
locum,

XLII. Notandum autem hæc tantum locum habere in contractu mutui, & in ijs, qui utilitatem contrahentis saltem, nullam vero civitatis vel ecclesiæ concernunt: ut in fideiussione *c. quod quibusdam de fideiuss.* in deposito *c. 1. de deposit.* in venditione annuorum reddituum, &c. in alijs vero contractibus aliter se res habet. Nam licet quidam opinati sint, etiam in cæteris contractibus creditorem probare debere, pecuniam in utilitatem civitatis vel ecclesiæ versam esse, prout sensit Gloss. in *l. 1. C. de vend. reb. civit. lib. 11.* Innocent. in *cap. 1. d. de pos.* plerique tamen interpretum frequentiore calculo in contrarium iverunt, existimantes, in reliquis contractibus ad hoc, ut inde contrivitatem vel Ecclesiam actio competat, non esse necesse, ut probetur pecuniam in utilitatem ejus versam, modo hi alioqui solenniter celebrati fuerint; Hoc docuit Bartol. in *d. l. 1. C. de vend. reb. civ.* Paul. de Castr. in *auth. hoc ius porr. C. de SS. eccles.* Redoanus in *d. tractatu quest. 4.* vide Hartm. Pistoris *quest. 37. n. 51.*

Quomodo
versio sit
probanda?

XLIII. In casu vero, quo creditor tenetur probare pecuniam mutuum fuisse versam in utilitatem civitatis vel ecclesiæ, vel alterius universitatis, quibus modis id probetur considerabimus. Et quidem potest probari duobus modis: primo verè, veluti per aspectum, si quis viderit pecuniam expendi in eam causam, quæ sit utilis universitati: nam testimonium visus est excellentius omnibus alijs. *§. 9. inst. de gradib.* Secundo per conjecturas. Alexan. in *consil. 189. n. 13. lib. 6.* quia vera probatio est admodum difficilis, & alias tempore urgentis necessitatis non inveniret universitas, cum quibus posset contrahere. Nec obstat *c. pen. de fideiuss.* ubi dicitur monasterium ex causa mutui non posse conveniri; ni fortè in utilitatem ipsius manifestè constiterit pecuniam redundasse. Respondet enim Hieronym. Butigella in *repet. d. l. civitas n. 39.* quod probatio, quæ fit per conjecturas, dicatur etiam manifestissima, *l. licet imperator. 74. de legat. 1.*

XLIV. Ex quibus conjecturis illud manifestè probari possit, itaque nunc dispiciemus. Et quidem illa in primis videtur probabilis conjectura, quod tempore mutui contracti universitas ob aliquam causam pecunia indiguerit. Ita sentiunt

232
tiunt Baldus, Sa'icetus, & Paulus de Castro, quibus etiam ad-
stipulatur Decius in d. l. civitas. probatque hanc sententiam per
l. ult. ff. de exerc. act. Quamvis contrariam opinionem foveant
Iason, n. 18. in d. l. civitas. Ioann. de Imol. in c. 1. de deposito. Ioseph.
Mascardus de probat. vol. 3. concl. 1161. n. 8. qui pluribus ad l. ult. ff.
de exerc. act. responder.

XLV. Altera conjectura probandi est, si ultra causam,
quæ tempore mutui pecuniam requirebat, creditor etiam pro-
bet, post mutuam à se datam pecuniam cessasse illam causam,
atque adeo fuisse provisum necessitatibus, universitati prius
incumbentibus: ut puta si asserente creditore, se ad refectio-
nem civitatis vel ecclesiæ mutuo dedisse pecuniam, constaret,
civitatem vel ecclesiam tum ad refectioem hac eguisse pecu-
nia, & deinceps eas reparatas appareret, tum pecu-
nia mutuo data in causam hanc utiliter versa præsumeretur,
atque hinc ulteriori probandi onere creditor sublevaretur.
Menoch. de arb. ind. quest. l. 2. cent. 5. cas. 432. Hartm. Pistoris.
d. quest. 37. n. 35.

XLVI. Est quoque consimilis conjectura, quæ à pru-
dentia & integritate administratoris seu prælati sumitur, cuius
in administrandis rebus nota ac perspecta est fides atque indu-
stria Cynus in anth. hoc ius porr. C. d. SS. eccles. Non autem cre-
ditorem relevabit prælati confessio in instrumento obligatio-
nis, de pecunia versa in domus religiosæ utilitatem, quia con-
fessiones illarum personarum quæ actum aliquem expedire ne-
queunt nisi certa qualitas (quam accessisse asserunt) interve-
nerit, nullam probationis vim obtinent. Ampliss. Dn. Præses
in disp. ad Codicem 7. th. 31. add. Ioh. Köppen decis. 60. n. 7. Coler.
de process. exec. p. 2. c. 3. n. 352. Eâ tamen conjecturâ versio hæc
poterit probari, cum modica pecuniæ summa fuit mutuo data.
Mascardus d. l. n. 27. Illud etiam adnotandum est, quod satis
intelligatur versum in utilitatem Ecclesiæ, si quid pro necessi-
tatibus ipsius prælati fuerit impensum. Felin. in c. cum dilecta.
num. 85. de rescrip. Alias conjecturas legere potes apud Mantiam
de tac. & amb. conv. lib. 8. tit. 15. & 16. & Alciatum in d. l. civitas.
n. 6. qui

n. 6. qui hac in re plurimum tribuendum esse arbitrio iudicis optimè cenfet.

Quid hic
dicatur
conver-
sum in
ecclesie
utilitatem

XLVI. Quæ huc usque tradidimus, ea ratione ecclesie ita limitat Mascardus. *d. l. n. 33.* qu. versio in necessariam & expeditentem ecclesie utilitatem fuerit facta. Si itaque mutuo sumpta pecunia nomine ecclesie, in exstructionem inutilis ædificij, autem effossionem non necessariæ piscinæ impensa est, Ecclesieq; ære alieno oppressa, non tenetur *argum. l. in fundo 38. ff. de Rei vindic.* quia nemo dicere potest, pecuniam illam versam fuisse in utilitatem ecclesie: sed versio in illum usum necessitatis nihil, inutilitatis plurimum habet. Per eandem legem Ecclesia tenetur solum restituere, quantum est melior reddita licet plus fuerit expensum; & si plus utilitatis inde perceperit quam fuerit quantitas mutui, solum tenetur mutui quantitatem, persolvere. Hoc enim casu non tenetur ex contractu Ecclesia, quia non mandavit, sed actione de in rem verso. E. tantum ad id, in quo est melior facta. Masc. *d. l. Menoch. d. l. Molina tom. 2. d. l. & l. disp. 300. n. 10.*

Sufficit
versionem
semel pro-
batam fu-
isse in uti-
lit. univer-
sitis.

XLVII. Denique ubi probatum est, pecuniam semel fuisse versam in utilitatem universitatis, tum amplius non refert, utrum utilitas illa etiamnum duret, an verò momentanea fuerit, sed sufficit semel, in utilitatem universitatis pecuniam versam esse. Hartman. Pistor. *d. quest. n. 39.* Sic si constet in causam quidem utilem ac necessariam fuisse mutuo datam pecuniam, sed ea priusquam ab administratore vel prælato in hanc causam verteretur, casu aliquo fortuito periisset, tum creditori id imputandum non est, sed nihilominus universitas pecuniam illam refundere tenetur, cum sufficiat à principio utiliter gestam esse. *l. sed an ultro 10. §. 1. ff. de negot. gest.* Alciatus in *d. l. civitas. n. 8.* Mantica *d. lib. 8. tit. 13. n. 15.* Mascard. *d. l. n. 36.*

2.
Naturalia
Hæc sunt
(1) ut mu-
tuum in
eadem bo-
nitate red-
datur.

XLIX. Consideravimus hæcenus quæ ad substantiam huius contractus cum universitate initi pertinent, nunc de ijs dicemus, quæ ad ejus naturam spectant. Illa sunt (1) ut res universitati mutuo data in eadem bonitate reddatur, *l. cum quid. 3. ff. d. R. C.* Quare si vinum vetus datum fuerit, tale reddendum est: novum enim reddendo invito non satisfacere *d. l. 3. quia non æquè*

233.
æque bonum reddideris, vinum quippe vetus melius est
novo.

XLIX. De pecunia mutuo data quaeritur, qua boni-
tate solvi debeat, sicubi illa diversa est tempore solutionis ab ea,
quæ fuit tempore contractus? Si bonitas valoris extrinseca
mutata sit, redditionem faciendam esse putamus secundum va-
lorem, qui est tempore solutionis. Si vero valore manente in-
tegro bonitas intrinseca mutata, (ut fere ab anno 1606. ad an-
num 1621. contigit,) tempus contractus esse inspiciendum cen-
semus. Cujus sententiæ rationes Excellentissimus Dn. Præ-
ses in *Observat. ad Wesenb. parat. de R. C. n. 12. p. 418.* suggerit,
eamque autoritate clarissimorum Ictorum confirmat.

L. In vino oleo & frumento, contra naturam mutui, ex
peculiari placito Romanorum fuit receptum, ut mutuatarij
æstimationem potuerint restituere, quod *ex l. vinum 22. ff. d. t.*
& ex Ciceronis tertia, ac quinta in Verrem actione constat: potuit red-
ubi hunc in modum loquitur: *multos saepe viros bonos, & fortes di-
& innocentes, cum aratoribus, & cum civitatibus frumentum in cellam
quod sumi oporteret, æstimasse, & pecuniam pro frumento abstulisse.*
& paulo post: *Etenim hæc æstimatio nata est, indices, initio non ex
Prætorum autem consulum, sed ex aratorum, atq; civitatum commodo.
Nemo enim fuit initio tam impudens, qui cum frumentum deberetur,
pecuniam posceret. certè hoc ab aratore primum est profectum, aut
ab ea civitate, cui imperabatur, cum aut frumentum vendidisset,
aut servare vellet, aut in eum locum, quo imperabatur, frumen-
tum portare noller: petivit in beneficii loco & gratia, ut sibi pro fru-
mento, quanti frumentum esset, dare liceret. Ex huiusmodi principio,
atq; ex liberalitate, atq; accommodatione magistratum, consuetudo
æstimationis introducta est. Hæc Cicero, cujus verba integra
ascribere placuit; cum à Doctoribus aliter *ad d. l. 22.* responderi
soleat. In meam autem sententiam inclinare etiam videtur Ia-
cobus Aretinus, quem Alciatus *in d. l. n. 7.* allegavit.*

LI. (2) Natura mutui requirit, ut gratuito illud fiat. (2) ut gra-
Fundatus enim hicce contractus est in amicitia, quæ à nobis
exigit, ut amicis indigentibus ultro & gratis subveniamus at-
que opitulemur.

C

LII. (3)

(3) ut pe-
riculum
rei sit pe-
nes mutu-
atarium.

3.
Acciden-
talia.

(1) Pactum
stipulatio-
nis.

(2) Acces-
sio usura-
rum.

(3) Obli-
gatio pi-
gnoris,
(4) Et fide-
jussorum.

LII. (3) Ut periculum rei mutuo datae sit penes uni-
versitatem. Cum enim ipsa res & pecunia credita sic transeat
in accipientem, ut ille ejus dominus fiat; *l. 2. §. appellata ff. d. R. C.*
hinc si casu, dolo, lata levi vel levissima culpa mutuatariae uni-
versitatis amissa fuerit pecunia mutuata, nihilominus univer-
sitas tenetur tantundem in genere, quod mutuatum est, red-
dere. quia domino res sua perit, & obligationis vinculum
personale adhuc durat. Genus enim debetur, quod nullam
fufcipit passionem, &, cum intellectuale quid sit, perire ne qui-
dem potest. Et tantum de naturalibus.

LIII. Reliquum est, ut de accidentalibus hujus contra-
ctus, quæ ex aliquo modo vel pacto appofito juxta eum super-
adduntur, dicamus. in his enim locum habet Vlpiani dictum,
l. 1. §. 6. ff. de pos. contractus ex conventionem legem accipere.
Sunt autem illa 1. quæ stipulationibus inferi solent. Pactum
vero stipulationis originem suam ducit à jure civili, ab eoque
repertum est & confirmatum, ne promissorum inani spe de-
cepti damnis afficerentur homines, nec liceret semper pro-
mittentibus pœnitere, & destituere eum cui semel fidem de-
derant. Possunt autem omnia negotia in stipulationem trans-
fundi. *Mozz. tr. de stipulatione column. 4. n. 1.*

LIV. 2. Accessio usurarum. Cum enim naturaliter
usuræ in mutuo deberi non videantur, sed tantummodo in-
teresse aliquod, ne mutuando detrimentum creditor capiat:
accidat vero ad usuras usque se extendi illud; jus civile admit-
tit in mutua pecunia mediante stipulatione usuras, quæ ex
placito & stricto jure, non naturâ negotij proveniunt. *l. quam-
vis. 3. C. de usur. l. lecta 40. & in eam Duarenus cap. 5. in comm. ff. de
R. C. adde Petr. Nicol. Mozzium de mutuo column. 4. n. 18. & seqq.
& column. 5. n. 7. & seqq.*

LV. 3. obligatio pignoris. *l. si quis 4. §. 1. ff. d. r.* Hæc ideo
à creditoribus accipiuntur, quo magis in tuto sit creditum.
§. ult. inst. quib. mod. re cont. obl. 4. Fidejussorum constitutio *l. si
peniam. 26. ff. d. t.* ut sc. magis cautum sit creditoribus, qui, si
debitrix universitas facultatibus suis lapsa fuerit, à fidejuf-
soribus consequi possunt, quod sibi debetur. *l. 1. ff. qui satisd. cog.*

LVI. §.

LVI. §. Pertinent quoque huc omnia pacta, quæ non sunt à lege reprobata, veluti pactum executivum *l. 3. de acquir. rer. dom.* constitutum possessorum. *l. 18. d. acquir. poss.* Renunciationes beneficiorum juris, exceptionis sc. non versæ pecuniæ in utilitatem universitatis; rei aliter scriptæ quam gestæ; doli mali, coactionis, omnis læsionis, restitutionis, supplicationis, appellationis, calamitatis bellicæ, vis majoris, omnes quorum interest non consensisse, solennitates solitas non adhibitas esse, & hujusmodi alia.

(5) Pactum
executi-
vum & alia

LVII. Haftenus & personas contrahentes, & contrahendi examinavimus rationes. Restat, ut ad res, de quibus ab universitate contrahitur, progressum faciamus. Sunt autem hic eadem quæ in mutuo privatorum, pondere, numero & mensurâ constantes: quoniam eorum datione possumus in creditum ire: quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem potius quam per speciem. *l. 2. §. 1. ff. d. R. C.*

Res.

LIX. Quoniam autem nonnullæ res ita sunt comparatæ, ut illas magis ac cæteras amplectamur, adeoque differentiam in speciebus etiam ratione usus habeant; hinc illæ tantum res aptæ natæ sunt ad mutuum, quæ in genere suo functionem recipiunt, i. e. de quibus parum solliciti sumus, an hanc vel illam speciem (s. individuum) habeamus, modo sit ejusdem bonitatis. Ita modius frumenti tui quem mihi reddis, ejus quem tibi mutuo dederam, fungitur vice, eumque mihi usum præstat, eandemque utilitatem, sic ut videatur pene illud ipsum frumentum esse, quod mutuaveram. Et quanquam revera sit aliud, & diversa species, tantundem tamen valet, sic ut nihil causæ possis dicere cur non id omnino reddiderim quod tibi debeo: debeo autem quod à te accepi.

Quæ res
functio-
nem reci-
piunt in
suo genere

LIX. Ex quo sequitur justam esse solutionem, quia non dicor aliud pro alio solvere. quod tum verè dicitur, cum est aliqua naturæ diversitas inter rem acceptam, & eam quæ solvitur, quod hic dici non potest, cum functione rerum harum mutua tantum una præstet, quantum altera. At aliarum rerum cum usus diversus sit, alia pro alia solvi non potest invito creditore, cujus interest quod tradidit & sibi debetur

habere. at hic non interest. Hoc vult Paulus *d. l.* cum ait functionem ista recipere per solutionem potius, quam per speciem. *Connan. comm. iur. civ. lib. 7. cap. 1.* Maximè autem hic pecunia venit considerata.

II.

Qui perfecti sint effectus.

Hi conspiciuntur.

1. In iure mutuantis

Obligatio-
ne sc.

LX. Et hac quidem ratione Contractus Mutui, qui intercedit inter universitates ac singulos, perficitur, adeoque prima exercitationis nostræ pars est absoluta. Quam altera de perfecti contractus effectibus excipit.

LXI. Hujus natura quam maximè conspicitur ex duplici iure cum mutuantis, tum universitatis quæ creditum accepit. Ius mutuantis consistit primo in obligatione, cujus necessitate universitas adstringitur solvere quod debet creditori. Obligatio autem, quæ ex hoc contractu proficiscitur, ad omnes qui contraxerunt pertinet.

Quando

civitas ex

contractu

proprio

obligatur.

LXII. Sive itaque singuli cives, sive cœtus quidam illos omnes ac singulos repræsentans, sive unus communi omnium ipsorum consensu ad hoc constitutus mutuum acceperit, ex hoc contractu ipsa civilis societas, licet pecunia in rem ejus versa non fuerit, iure obligatur. Docet hoc Bartolus *per l. metum 9. §. 1. quod. met. ca. in d. l. civitas. num. 2.* quem interpretes sequuntur. Et hoc procedit, si civitas pro principe fidejusserit; Nam ita de iure respondisse Scabinos Lipsenses, contra hanc civitatem Helmstadiensem, quæ se obligaverat pro suo Principe, tanquam principalis debitor, anno 1554 mense Martio; & Ictos Ienenses in lite vertente inter quendam Doctorem, & civitatem Alstet, quæ sese obligaverat pro quodam Comite, idem pronunciasse in iudicio curiali, anno 1575. testis est Colerus *de process. execut. p. 2. c. 3. n. 347.* Eandem sententiam in causa Philip. Schaden contra Senatum Zimmeriensem dictam esse refert Lindemannus *de iur. c. 1. th. 28.*

Singulos

cives non

obligari.

LXIII. Quod tamen ita accipiendum, universim quidem omnes cives, sed non singulos obligari. Non enim, ut disertè loquitur Ulpianus, *in l. sicut 7. §. 1. quod cui. univ. no.* quod universitas debet, singuli debent. in hujus ergo, quæ possidet, bonis executionem fieri necesse est: quæ nisi suffecerint, non tamen ut singulis, sed ut parti universorum contributio potest in-

235
rest indici. *Loſa. de iure univ. p. 3. c. 9.* Pulchrè in rem Seneca:
Si quis, inquit, patrie mee pecuniam credat, non dicam me illius debi-
torem, nec hoc æs alienum proſiſtor, ad exſolvendum tamen hoc por-
tionem meam dabo. Quid ſi civitas cogitur collectam indicere,
poſtne ipſa compellere cives ad mutuandum, ut ſub ſpe fu-
turi tributi mutuata recipiant, ſolvendo interim aliquid pro
uſuris? Nos obligationem, quam ex ære alieno contraxit uni-
verſitas, quæque omnes in univerſam afficit, inſpicientes,
dicimus cives cogi poſſe ad mutuandum pecuniam univerſi-
tati, quam deinde ſecuto univerſali tributo repetent ab exa-
ctore ſoluta collecta pro parte ad ſe ſpectante *argum. l. omnes*
12. C. de oper. publ. Nam civitas, ut inquit Ægidius Thomatus
in tractatu de muneribus patrimonialibus ſive collectis pag. mihi 594.
urgendo particulares cives ad mutuandum univerſitati pertra-
ctat negotium ut liberetur univerſitas ab ære alieno, & ſic a-
git rem utilem pro tota univerſitate, quia liberare aliquem ab
ære alieno, eſt ſpecies acquisitionis.

LXIV. Aliter res ſe habet cum civibus, qui ſingulatim
ſe omnium nomine obſtrictos faſſi ſunt. Ita enim in cujuſlibet
illorum bonis exſecutio fieri & poſteſt & debet *Piſtor. obſ. 20. n. 10.*

LXV. De hoc tantum dubitatio poſteſt oriri, utrum &
illi, qui contractui à communi civitatis concilio inito non in-
terfuerunt, ſingulatim teneantur? Et hæc eadem eſt cum illâ,
de quâ Interpretes ſatis obſcure hanc movent quaſtionem, an
ſinguli cives ex ejuſmodi contractu obligentur? *Hartm. Piſtor.*
d. 9. n. 8. & 9. Mirari enim liceret, cur interpretes de contra-
ctu communi civium conſilio atque conſenſu celebrato gene-
raliter verba facientes, uſque adeò laborent in eo, an ſinguli
ex illis obligari potuerint? Cum, ſi quidem id de civibus, qui
contractui interfuerunt, eſſet intelligendum, inter omnes con-
ſtaret, quemlibet ex conſenſu proprio teneri, & contractui à
ſemet inito legem dare poſſe. Verum diligentius animadver-
tenti facile patebit, eos qui de hoc diſceptarunt, de ejuſmodi
concilio civitatis loqui, cui non omnes cives totius civitatis
interfuerunt, atque hinc utrum ex contractu ab illis inito,

Niſi ex-
preſſè ſe
ſingulatim
obligave-
rint.

An cives,
qui con-
tractui
non adfu-
erunt, et-
iam ex eo
ſingulatim
teneantur?

etiam reliqui cives, qui praesentes non fuerunt, sigillatim obligari queant, ambigere.

LXVI. Rationes dubitandi varias affert modo nominatus Pistoris, & d. l. affirmativam videtur tueri, atque ad hoc, ut concilium civitatis singulos cives obligare possit, insuper requirit causam aliquam maxime necessariam, quam magistratus motus hoc fecerit; Quod tamen haecenus admittit, ne praetermissis caeteris, obligatio in unum atque alterum, sed ut, in omnes ac singulos simul dirigatur. Cujus sententiae nos subscribimus. Iung. Colerus *de process. exec. p. 2. c. 3. n. 365.*

Divisa civitate per factiones & civilia bella, quod interim ab una parte res alicuius contrahitur, an eadem civitate unita ab omnibus deberi intelligatur.

LXVII. Haud incommodè referri huc potest exemplum ab Autore disquisitionum Politicarum *cas. 53.* adductum: Scissi olim erant in factiones cives Athenienses. Pars eorum iniqua caeterorum dominationis pertata in Pyraum ut exules secesserant; pars viribus & factione majores in ipsa urbe Atheniensi permanserant. Factum autem à civitate est, ut hi acceperint mutuo à Lacedaemonijs centum talenta ad eos obsidendos & in civitatem retrahendos, qui exules in Pyraum secesserant. Mox tamen motibus his per Amnestiae legem compositis supervenere creditores Lacedaemonij, qui reddi sibi centum Talentaperlegatos petere. Indicta est propterea Atheniensis populi concio, quaesitumque: Quid de ea pecunia fieri placeret, & à quibus esset exigenda: an ab ijs qui obsederant alios & ipsi mutuo sumserant, an ab illis qui obsessi, & ea ratione ad salutarem unionem erant compulsi: An vero ab utrisque hoc est in universum omni Atheniensium populo?

LXIX. Variè hac de re ab utraque parte fuit disputatum. Qui enim in Pyraum se contulerant, ab adversarijs sumptam pecuniam; nec invitum quenquam ab eo in cuius potestate non sit, tertio alteri obstringi posse aut obligari; tandem etiam tempus crediti respici debere contendebant. Alteri vero in urbe subsistentes cum alia tum haec imprimis praetendebant, in bellis civilibus tam cives esse, qui hanc partem quam qui illam sequuntur, unde ad debita civitatis omnes ut cives teneri; ac praeterea pro se facere quotidianam experientiam. Qui enim peregrinus jure civitatis alicujus donatur inque

238.

Inque eam recipitur, qui nunquam inquilinus ante exstitit aut civis, tenetur tamen ad debita civitatis jam ante secula forsan contracta. Denique exules maxima commoda ex accepta pecunia percepisse. Obsidione enim, cui impensa est pecunia, factum, ut Amnistiae Lex fuerit decreta, ut civitati nunc suae cives redditi sint ac libertati. Cur non igitur onera sentirent, vel simul cum ceteris ex privatis suis conferent fortunis quantum Lacedaemonijs debebatur.

LXIX. Hac illi inter se, decretumque ab utrisque mutuum esse solvendum. Cujus sententiae rectitudo, cum ex alijs, tum ex hac potissimum ratione patet, quod Reipubl. administrationem in secessione aliorum civium qui servant sibi, nec deserunt destinatum ei locum, merito omnia rite & pro auctoritate, ac ut veros Magistratus fecisse censendum sit.

LXX. Ut autem sigillatim quisquam in casibus, quorum antea fecimus mentionem, obligatus sit, non in solidum sed pro virili tantum tenetur, *argum. l. reos 11 §. 2. ff. de duob. reis.* nisi in solidum sese expressè obligaverit. *Losa. d. tr. p. 3. c. 3. n. 13.*

LXXI. Et hoc usque adeo verum, ut etiam si bona universitatis & singularum personarum hypothecae fuerint supposita, nihilominus pro virili saltem censeantur obligata. *Conf. Ronchegallum in l. eandem 9. in pr. n. 280. d. t.* Neque contrariè scripsit Paulus, *in l. aliena 20. §. 1. de pignor. act.* dicens, si pluribus res simul pignori detur, aequalem omnium causam esse. Non enim hoc sensit, quasi cuilibet in solidum hoc casu pignus obligatum esset, ut inde cum Bartolo liceret inferre, idem esse in casu converso, quo plurium res oppignoratae sunt; sed potius hoc voluit, in aequales portiones creditores vocari, atque adeo ad quemvis ipsorum partem pignoris pertinere. Vti hoc significantius explicat Martianus *in l. si fundus 16. §. 8. ff. de pignor. et hypot.* ubi in eadem facti specie, una videlicet re duobus simul pignori data, respondet unumquemque pro parte dimidia agere posse, nisi aliter expresse sit actum. Vide Pistor, *c. l. n. 21.*

LXXII. Atque haec de ipsa civitate contrahente dicta sufficiant. Absque concilio vero civitatis omnes cives representant, vel etiam absque reliquorum civium consensu si Magistratus

Cives, licet sigillatim obligati sint, tamen pro virili tantum tenentur. Et hoc verum, licet bona sua oppignoraverint.

Quando civitas ex contractu

**Administrato-
rum ob-
ligatur?** stratus vel Administratores civitatum mutuam sumant pecu-
niam, & debito civitatem obstringant, an pro eo sint obligati,
qui talibus subsunt, porro videbimus.

**Si constet
pecuniam
in ejus uti-
litatem esse
se versam.** LXXIII. Et certe obligatos esse, si constet pecuniam esse
versam in eorum utilitatem, nemo dubitabit. *d. l. civitas 27. d.*
R. C. Hoc enim vel ipsa docet natura, quæ neminem cum al-
terius detrimento & injuriâ fieri locupletiolem patitur. *l. 206.*
ff. d. R. I.

**Extendi-
tur hoc ad
alias uni-
versitates.** LXXIV. Quod non solum in civitatibus, sed etiam in
omnibus alijs universitatibus, quæ beneficio pupillari uti pos-
sunt, *l. resp. 4. C. quib. ex caus. mar.* procedit: quales sunt magnæ
universitates, quæ alieno regimine indigent. Alciatus *in d. l. ci-
vitas. n. 1.* Item in Ecclesia hoc locum habet. *c. pen. de fideiuss. &*
auth. hoc ius porr. & ibi Bald. num. 9. de SS. Eccles. Quin etiam hoc
de quolibet alio collegio intelligitur, quod propter publicam
utilitatem inductum est. Mantica *c. l. 8. tit. 12. n. 5. & 12.* Quod
si vero aliqua sit societas, ut publicanorum, vel collegium fa-
brorum, pistorum, naviculariorum, & si qua similis, secus est,
ut plerique censuerunt. *argum. l. item magistri 14. de pactis.* In his
enim à regula non recedimus, quâ traditum est, ex contractu
administratoris obligari dominum, quamvis non probetur in
ejus rem versam esse pecuniam. *l. Lucius ult. ff. de exerc. act.*

**Nec distin-
guitur, ut-
rum gra-
tis, an ve-
ro sub usu-
ris pecu-
nia fuerit
credita.** LXXV. Nec quicquam refert, utrum pecunia fuerit
gratis mutuo data, an vero sub usuris. Nam licet nonnulli
existimaverint, secus rem sese habere, quando pecunia fuit gra-
tis mutuo data, moti ijs, quæ circa *l. 1. C. si advers. credit. Dd.*
communiter tradunt; tamen cognita penitusque perspecta in-
terpretum mente patebit, hos de eo tantum casu loqui, quo
minor vel civitas restitutionis beneficio utitur, & tum quidem
distinguere inter fœneratorem & alium creditorem. Nos au-
tem de eo hic agimus, an & quatenus civitas ex mutuo oblige-
tur. Pistor. *c. l. n. 28.*

**Hoc in ca-
su singuli
cives non
obligantur.** LXXVI. Referendum & huc, quod antea tanquam
maximè necessarium inculcavimus, itidem hic cives non ut
singulos sed ut universos obligari.

LXXVII. No-

LXXVII. Notandum quoque est, cum in rem civitatis versa est pecunia, non solum civitatem, sed etiam administratorem, qui simpliciter contraxerit, obligatum censerit: ita per textum in *l. si pupilli. 6. §. 1. de negot. gest. & l. si in rem 3. C. qu. ex fact. tutor. & d. l. civitas*, sumto argumento à contrario sensu docet Bartolus. nam ejus quoque contemplatione mutuatum fuisse creditur. *argum. l. cum qui 13. C. si cert. pet.* Cum enim respublica non nisi in rem suam versa pecunia obligetur, videtur creditor fidem quoque administrationis aliquatenus secutus: nisi sine protestatione expressa aliunde adpareat solum procuratorio nomine voluisse eum obligari, *l. fin. ff. de instit. l. post mortem. 5. §. fin. qu. ex fact. tut.* vel dilucidè testatus fuerit, se ex illo contractu nolle proprio nomine obligatum esse. Ultra intentionem enim contrahentium obligatio vires suas non extendit. *argum. l. non omnis 19. ff. d. R. C.*

Admini-
strator ta-
men cen-
setur obli-
gatus.

LXXIIX. Sanè quod diximus administratorem proprio quoque nomine prædicto casu obligari, Paul. Castr. Alexanderque intelligendum existimant, ut durante officio solum teneatur, *argum. l. prior. §. 2. de admin. rer. ad civ. pert.* Cum enim officium magistratus; necessarium magis quam voluntarium reputetur, non esset æquum ulterius eum obligari. *l. munerum 18. §. 13. de muner. add. Alciat. c. l. n. 11.*

Quamdiu
officio suo
fungitur,

LXXIX. Atque sic vidimus quid juris sit, cum pecunia in utilitatem reip. versa est. In aliam vero quam communem utilitatem pecunia si fuerit conversa, non civitas, sed soli administratores, qui contraxerunt, sunt obligati. *d. l. civitas.*

Quando
civitas ex
contractu
admini-
stratorum
non obli-
gatur
Soli admi-
nistratores
teneantur.

LXXX. Quod ipsum optima ratione nititur, cum aliquis, qui fidem administratoris secutus pecuniam mutuo dedit, manifestam rei suæ jacturam subiret contra æquitatem. *l. si me & 32. ff. d. R. C.* ex qua ratione etiam introductum est, ut si contractus mutui celebretur nomine absentis, eo non ratificante, resideat in eo, qui mutuum recepit, *l. si absentis 4. C. si cert. pet.*

LXXXI. Estque hoc usque adeò verum, ut administrator non solum durante, sed etiam finito officio teneatur: utroque enim casu eadem subest æquitatis ratio, ne si neminem

Et finito
officio
conveniri
possunt.

D

haberet

haberet obligatum, creditor in damno relinqueretur. Hocque per *c. l. prior.* probat Alciatus *d. l. n. 10.*

Nec quicquam eos iuvat protestatio.

LXXXII. Quin imò et si expressè protestatus fuerit, se non velle ex illo contractu obligatum esse, tamen tenetur, tum quia protestatio in his, quæ non tam à voluntate nostra, quam ex legum dispositione dependent, nihil operatur; tum etiam quia talis protestatio fraudulenta censetur, ideo minus relevare debet. *argum. l. quero 39. d. actio. empt. Pistor. c. 9. n. 67.*

& iure persequendi hoc est Condictio certi, ex contractu mutui.

LXXXIII. Et hæc dicta sufficiant de ipsâ universorum obligatione. Quâ explicatâ, ordo poscit, ut & jus mutuantis in persequendo mutuo examinemus. Hoc ex contractu mutui est actio mutui *l. neq. 5. C. quib. non obi. long. temp. prescr.* seu condictio certi. *pr. inst. quib. mod. re contr. obl.*

LXXXIV. Condictio nem certi interpretes duplicem faciunt. Generalem, quæ ex omni contractu; & specialem, quæ ex mutuo & stipulatione nascitur. Causam divisioni huic præbuit *l. 9. ff. d. R. C.* in cuius pr. Ulpianus inquit: *Certi condictio competit ex omni causa, ex omni obligatione, ex qua certum petitur: sive ex certo contractu petitur, sive ex incerto. & c. & §. subsequenti 3. Quoniam igitur ex omnibus contractibus hæc certi condictio competit, sive re fuerit contractus factus, sive verbis, sive comunctim.*

Non datur condictio certi generalis.

LXXXV. An autem hæc divisio benè se habeat, non immerito posset quisquam dubitare, quia Ictus ait *ex omni causa, eâ scilicet, ex qua certum petitur.* Ex omni enim causa certum peti non potest, ergo nec ex omni causa datur certi condictio. Concedit hoc Zasius *ad tit. d. R. C.* annotans ex deposito, composito, non dari conductionem certi.

LXXXVI. Deinde non levem iniecit scrupulum, quod mutuum & stipulatio cæteris contractibus accedere possunt. Exemplum peti poterit ab auri fabro; hic si ipse deslituitur materiâ, sive illa sit aurum sive argentum, ex quâ aliquid mihi debet conficere, illam à me accipit. Vnde oritur locationi junctum mutuum. Nam & operam suam locat, & simul it in creditum. Simile huic in *l. in navem, 31. ff. locat. cond.* reperies exemplum. Bonæ fidei autem contractibus accedere solet stipulatio. Hæc enim quasi munimentum quoddam est contractuum, ab eâq;

ab eaque vim accipiunt. Hinc, quia omnes contractus in mu-
tuum & stipulationem transfundi possunt, datur certi condi-
ctio ex omnibus contractibus, ex quibus certum peti potest,
hoc est, quibus stipulatio & mutuum accedere possunt. Indi-
dicant hoc verba I Cti in d. §. 3. sive re fuerit contractus factus, sive
verbis, sive coniunctim. i. e. sive numeratio intervenerit, sive sti-
pulatio, sive mutuo accesserit stipulatio. Si enim stipulatio
numerationi adiecta, non ex numeratione, sed ex stipulatione
nascitur l. 6. & 7. ff. de novat. eiusdem tamen naturæ actio est,
idemque nomen obtinet. pr. 1. d. V. O.

LXXXVII. Generalem certi conditionem dubiam
quoque faciunt verba Ciceronis orat. pro Q. Roscio Comædo:
Iam due, inquit, partes cause sunt confectæ: adnumerasse sese negat:
expensum tulisse non dicit, cum tabulas non recitat. Reliquum est, ut
stipulatum se esse dicat. præterea enim quemadmodum certam pecuniam
petere possit, non reperio. & mox: Pecunia petita est certa; hæc pecu-
nia necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit. datam non
esse, Fannius confitetur: expensam latam non esse, codices Fannii con-
firmant: stipulatam non esse, taciturnitas testium concedit. Quid ergo
est? &c.

LXXXVIII. Hæc itaque sunt, quæ interpretum senten-
tiam de generali conditione certi, si non evertere, attamen
paulò incertiores reddere possunt. Nos autoritate D. Lin-
demanni, qui tr. de mutuo c. 3. tb. 3. scrupulosam atque inutilem
hujus quæstionis discussionem vocat, una & Dn. Præsidis ad
Vvesenb. d. R. C. n. 14. permoti, Doctioribus illam decidendam
relinquimus.

LXXXIX. Et dicimus conditionem certi adversus uni-
versitatem, (si in utilitatem ejus pecunia, quam accepit, versa
fuerit) dari ei, qui pecuniam mutuo dedit. §. mutui autem l.
quib. mod. re cont. oblig. Sive propriam sive communem: ita ta-
men, ut si communem pecuniam crediderit, pro sua tantum
parte eam condicere possit. l. 13. §. ult. ff. d. R. C. Si plures
mutuant, singulis pro parte hæc actio datur. l. 9. C. de
cert. pet.

Quoad
Admini-
stratores
datur con-
dictio ob
causam da-
tam caus.
non sec.

XC. Si autem non versa sit pecunia, administrator vel Syndicus à creditore conveniri poterit conditione causa data, causa non secuta. Eo enim sine ut in publicos usus erogaretur pecuniæ numeratio facta est, quæ causa cum secuta non sit, pecunia rectè ab eo conditione ob causam repetitur. *t. t. ff. & C. de cond. caus.* Confer. Henricum Bruningium in *disputatione de variis universitatum speciebus, earumq. iuribus* th. 79. lit. B. quæ inserta est nucleo discursuum ab Hampelio collecto.

Quomodo
instituen-
da actio,
si creditor
incertus sit
de pecunie
versione.

XCI. At quomodo instituenda erit actio, si incertus sit creditor, utrum pecunia in publicum conversa sit commodum, nec ne? Triplici ratione suam consequi potest creditor. Aget enim, si volet, adversus civitatem, & administratorem interpellabit, ut liti assistat, & versionis probationes suggerat, *l. si parentes 20. l. sequ. C. d. evict.* quod si administrator hoc facere recusaverit, tum jure contra ipsum dirigitur actio. Alciat. *in d. l. civitas n. 12.*

XCII. Rursus poterit etiam à principio, prius quam cum civitate experiatur, judicis officium implorare, ut cogatur administrator ostendere, quo pervenerit mutuum; argumento ejus quod habetur *in l. in creditore 38. d. evict. & in l. si contendat. 28. ubi gloss. de fideiuss.*

XCIII. Decius posse etiam actionem ex mutuo adversus ipsum administratorem vel Rempublicam eodem libello alternativè intendi censuit: quia incertitudo, quæ ex adversarij facto originem ducit, regulariter alternativum libellum non vitiat, *ut notant DD. in l. i. §. quia autem, quor. legat.* Cujus sententiam pluribus defendit argumentis H. Pistoris *d. q. n. 46. & seqq. add. Ampliff. Dn. Præses in disp. ad Codicem de iure sacro. th. 32. & Dn. Richter in decis. 71. n. 7.*

Ratione
stipulatio-
nis actio ex
stipulatu.

XCIV. Ratione stipulationis adjectæ de usuris, competit Creditori actio ex stipulatu. Petuntur autem usuræ mutui nomine vel simul cum sorte: quando in eodè judicio exiguntur simul, fors ex obligatione mutui, & usuræ ex obligatione stipulationis; & quidem in eodem libello, ad eum effectum, ut unâ eademq. sententiâ & fors & usuræ actori adjudicentur. Vel sine sorte separatim. Idq; fit vel ante sortem. *l. 23. ff. de except. rei ind. l. 26. ff. de cond. indeb.*

indeb. vel post eam p̄titam & solutam, ex stipulatione, quia contractus stipulationis per se sine ulla alia obligatione subsistere potest. arg. l. 108. pr. ff. d. V. O. Goedd. de contrab. stipul. c. 3. n. 10. Dn. Richter in decis. 74. n. 65.

XCV. Ratione hypothecæ constitutæ datur creditori actio hypothecaria, quâ ad consequendam possessionem rei oppignoratæ agere potest. Non autem potest propria auctoritate occupare hypothecam, sed debet præcedere auctoritas iudicis, *l. pignoris II. C. de pign. act.* nisi pactum sit factum de ingrediendo, occupando, & possidendo pignus propriâ auctoritate. Dicitur hoc solet pactum executivum seu paratæ executionis, & fit ferè tripliciter: ita (1) auff den fal der nicht haltung/ sol der Gläubiger macht haben/ durch anweisung des Richters oder Obrigkeit des Dhrts die gemeine Stadt güter anzugreifen/ oder ohn einigen vorhergehenden ordentlichen process hier zu executorial mandat vnd schleunige process wieder vns auß zu bitten/ vnd zu erhalten; quia pacto, ut inquit Gail. 2. *de pace publ. c. 2. per l. 3. C. de pign. & hypoth.* juris ordini renunciari potest. Vel ita: (2) daß der Gläubiger alsbald auff den vnbilligen verzug der Schuldner den besiz vnd possess ergreifen möge; Quo tamen casu auctoritate Magistratus possessionem apprehendere debet, rectè mōnente Oldendorpio *de hypoth. act. n. 10.*; Vel (3) sic daß die creditores vff den fal der miß- oder nicht- haltung zu der verschriebenen hypothec greiffen/ sich darein alsbald via executiva per Cameræ iudicium setzen/ oder pro arbitrio darauß bezahlt machen mügen: vel etiam an den Pfanden vnd verhypotecirten Gütern mit- oder ohn Recht sich bezahlt machen mügen. Vbi in primo pacto possessionem propria auctoritate apprehendere possunt, in posteriori auctoritate iudicis debent; cum verba mit Recht de ordinario, ohn Recht de executivo processu in dubio accipiantur contra creditorem, qui legem contractui non dixit apertius. Vtroque tamen casu præstare, ut possessionem quis auctoritate judiciali adipiscatur, communiter pro cautela traditur.

XCVI. Addenda his sunt quoque remedia possessoria. I. Adipiscendæ possessionis, sicubi vel pacto conventum, vel statuto (ut in illustribus Ducatib. Brunsvv. & Luneb. VVolfer-

Addenda
his reme-
dia 1. ad-
piscendæ
possessio-
nis.

bytano & Kalenbergico ex constitutione von exequirung flaret
Siegel und Brieffe de anno 1617.) aut consuetudine obtineat,
debitoris non solventis bona propria sponte fore occupanda.
arg. d. l. 3. C. de pign. Iacob. Menoch. de adipisc. poss. remed. 5.

2. retinen-
da.

XCVII. II. Retinendæ possessionis; si enim creditor
ita missus in possessionem fuerit, Magistratus eum tueri debet
ex interdicto ne vis fiat ei & c. *Neguzant. de pign. p. 3. m. 2. n. 20.*
Menoch. retin. poss. 1. n. 34. Si expertus actione hypothecaria,
ex primo decreto missus fuerit in possessionem, & turbetur,
ex interdicto uti possidetis defendendus est. *Menoch. rem. res. 3.*
n. 220. add. Ludov. Posth. tr. mandati de non turband. obs. 11. n. 4. 12. 19.

3. recupera-
nda.

XCVIII. III. Recuperandæ possessionis: ubi possessione
planè ceciderit, sive culpa, sive casu fortuito, ex *l. ult. C. de
pret. pign. c. redintegrand. 3. q. 1.*

XCIX. Denique Processus super mutuo universitatis
vel ordinarius est vel summarius. In illo iudex servato solenni
ordine pronunciat & cognoscit, in hoc absque ejusmodi so-
lenni ordine summarie.

De Proce-
su manda-
torum.

C. Et hujusmodi est processus mandatorum executoria-
lis, cuius V. sunt requisita. I. imploratio officij iudicis seu sup-
plicatio pro decernendo mandato de solvendo; quæ verò ut
mandatum sine clausula decerni possit 4. præsupponit. 1.
certos contrahentes 2. certam debiti quantitatem 3. certam
causam, hinc ex mutuo. 4. debiti liquidi probationem: Quam
faciunt, quantum quidem huc pertinet, acta publica (facta
in iudicio, confessiones judiciales, contractus iudici insinua-
tus) instrumenta publica Notarij, scriptura privata, sive pa-
ctum executivum insertum habeat sive non. II. requisitum
est confessio, aut recognitio manus & sigilli. III. Mandatum
sine clausula, seu præceptum iudicis. IV. tempus solvendi. V.
ipsa executio, seu possessionis realis apprehensio. *Conf. Mindan.
de mandat. lib. 2. c. 60. & seqq.*

2. in iure
mutuata-
riæ uni-
versitatis.

CI. Considerato iure mutuantis, nunc jus, quod uni-
versitas quæ mutuo accepit, habeat, contemplabimur.

CII. Hoc primo est dominium pecuniæ acceptæ & fa-
cultas utendi. Eo ipso enim, dum creditor pecuniam univer-
sitati

litati tradit, hæc dominium proprietatemque acquirit pecu-
niæ mutuatae, ut in ejus sit arbitrio in quemcunque usum & Quod est
quocunque modo, etiam alienando, illam impendere. Pro- dominium
prium enim, inquit Arist. 1. Rhet. 5. v. 20., est id, cuius alienandi penes
eum qui possidet potestas est.

CIII. Secundo est exceptio contractus legitimè non Et exce-
celebrati, quæ obtinet, si vel in illum omnes civitatis ordines ptio con-
non confenserint; vel administrator mutuum sumens id ab tractus le-
universitate mandatum non habuerit; vel aliud quippiam, gitimè non
quod ad substantiam hujus conventionis requiri supra annora- celebrati.
vimus, omisum fuerit.

CIV. Civitati quoque exceptionem non numeratæ pe-
cuniæ perpetuo competere exinde colligit Treutlerus, in disp. 20.
th. 5. lit. C. quod civitas non obligetur, nisi quatenus in ejus
utilitatem pecunia conversa probetur. Quam vero conse-
quentiam rectè Bachovius in not. ad d. disp. reprehendit, &
Francisci Ripæ sententiam ad l. si is qui bona ff. de pign. n. 10. am-
plectitur, qui diversam esse tradit exceptionem non versionis,
ab exceptione non numeratæ pecuniæ, quod altera contractus
nullitatem respiciat, altera ejus validitatem præsupponat: ex-
ceptio enim non factæ versionis præsupponit numerationem
esse factam. Quæ autem Fachineus 2. contr. 87. de exceptione
non numeratæ pecuniæ exceptionem non factæ versionis con-
tinente dicit, illa jure improbamus. Equidem si civitates non
obligantur, ubi in rem earum versum non est, exceptione nu-
meratæ pecuniæ non indigebunt: Sicut ex adverso, ubi in earum
utilitatem versa est pecunia, nulla exceptione defenduntur.

CV. Exceptio autem pecuniæ non versæ civitati tan- Exceptio
tummodo competit adversus creditores d. l. civitas, nequaquam pecuniæ
vero ipsis Senatoribus vel administratoribus; Quos beneficio non versæ.
hoc se defendere volentes in supremo appellationum judicio,
& in alijs quoque inferioribus Dicasterijs Saxonis repulsam
sæpius tuis se refert Dn. Carpzovius in assylo generali debitorum
th. 46. inciso 240. additq; rationem, quod exceptio hæc in favorem
solius civitatis specialiter fuerit introducta, ne administrato-
rum culpâ damnum Resp. subeat. l. ult. C. d. vend. reb. civ. lib. II.
Non

Non ergo hæc juvandi erunt ipsimet administratores, quippe qui nec à civitate contrahenti mandatum ac potestatem habuisse, sed negotium suum gessisse videntur, ut hinc ineptè ad privilegium civitatis confugiant. *arg. l. adigere 6. §. quamvis 2. de iure patron.*

De remissione fortis quid statuendum.

CVI. Quid si ea inciderit belli calamitas, ut pleræque civitatis opes fuerint devastatæ, debetne creditor à sorte quid remittere? Si actionem, quam in universitatem ex juris præscripto intendere creditor potest, spectemus, non facile illi quid à sorte remittendum. Tantundem enim esse reddendum, quantum mutuo fuit datum, & civilia *l. cum quid 3. ubi DD. ff. d. R. C. l. 11. §. 1. eod.* & naturalia exigunt jura, quæ neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiores patientur *l. 206. d. R. l.* Id ipsum etiam iustitia commutativa, à quâ contractus diriguntur, postulat. Ius enim in contractibus, ait Aristoteles *s. Eth. 4.* simpliciter retaliatum est, seu τὸ ἀντιπεπρωδός. Sane hæc æqualitas in omnibus contractibus erit servanda, ut quantum quisque accipiat, tantum quoque præstet. Præterea in negotio commutativo, in quo omnis utilitas est penes accipientem, hic tenetur omnem culpam etiam levissimam præstare. Et in specie in mutuo, quod stricti juris est, quæ belli atrocitate debitoribus evenerunt clades, non excusare debitores, quos dominos rei mutuatæ fieri jam antea ostendimus, aut impedire actionem creditoris evincunt textus. *in l. 11. C. si cert. p. G. l. 1. §. & ille ff. d. O. & A. l. 9. C. de pign. act. §. 2. vers. & is inst. quib. mod. re cont. obl.*

CVII. Quamvis itaque & autoritas recepti juris, & natura iustitiæ particularis, ad integrum debitum solvendum universitatem astringant, & iudex tanquam legum minister hoc etiam facere teneatur, insignem tamen pietatis ac Christianæ benevolentiae laudem Creditor meretur, si sponte sua cum debitoribus ex solâ belli causâ ad ultimam redactis miseriam tranfigat, & vel spiramenta temporum ad sensum sibi satisfaciendum concedat, vel à sorte quid remittat. *Est etiam, inquit Cicero 2. de officiis, non modo liberale, paullum nonnunquam de suo*

24
de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum. Imo iustitiæ etiam laudem meretur Creditor, si respectu commodi vel incommodi, quod à debitore proficisci potest, aliquid de debito remittat. Posset enim debitor, absque solutione si esset, Patriæ multa præstare commoda, sin illa urgeretur, eidem non parum adferre detrimenti; adeo, ut, si creditor paulum de suo jure discederet, eo ipso iustitiam q. exerceret universalem.

CIIX. Huic annexa est quæstio de usuris per belli nuperi calamitates residuis, an de ijs creditor quid remittere teneatur? Nos bellum ab usuris istis non liberare debitores concludimus; quia earum eadem planè cum principali debito conditio est, ex ratione & legum & debiti quantitatis universali. Accedit quod illæ per stipulationem sint promissæ, quæ ideo adjecta ut factis conventionibus satis inesset ad astringendam fidem firmitudinis. Denique hoc ipsum & ratio usurarum poscere videtur, quæ est carentia pecuniæ mutuatæ cum probabili damno creditoris perpetua, ideoque & in bello durans, compensanda integra usurarum residuarum præstatione.

Quid de remissione usurarum.

CIX. Utut verò quæ belli atrocitate debitoribus acciderint mala non impediunt, si jure agatur, actionem creditoris, urgent tamen & hæc ejusdem humanitatem, ut de ejusmodi usurarum remissione transigat, præsertim si in re lautâ sit, & universitas, quæ debet, publica calamitate & inevitabili injuria temporum omnes suas facultates amiserit.

CX. Ne autem Ordinarij judices suspicionem incurrant iniquitatis aut affectuum, non renitar illorum sententiæ, qui supremas potestates hoc modo judicium famam illibatam conservare statuunt, si quoad hunc casum nova inducatur judiciorum forma, temporis, personis, rebus accommodata, exemplo eorum, quibus jure Romano subinde astringimur ex debito virtutis alio quam iustitiæ particularis. Neque enim omne quod licet honestum, neque omne quod particulariter justum, bonum semper est & æquum. Præclare de legumlatoribus dicit Philosophus 8. Eth. 1. *Illos in condendis & constituendis legibus videri maiorem curam habere amicitia, i. e., concordia & benevolentia inter cives spectanda, quam ipsius iustitiæ. Nam si sunt*

si sunt amici, iustitia opus non est: at si fuerint iusti, amicitiam insuper indigent. Præterea si sint plura iuris genera (de quibus lib. 5. Etb. agit, nempe jus civile, domesticum, paternum) tamen id, quod maximè ius est & civ. le nominatur, præcipue dirigitur ad amicitiam inter cives constituendam, sine qua nulla civilis societas durare potest.

CXI. Excipiendi autem ab hoc numero meritò sunt creditores, qui civitatibus in allevamentum bellicæ cladis mutuum dedere, qui sententias decretorias & executoriales in iudicijs jam antea obtinere, qui nisi hac ratione alere se non possunt & vulgò die Rententierer vocantur, qui denique personæ miserabiles, viduæ, studiosi stipendiarij, & id genus alij.

De excep-
tione al-
terius tan-
ti.

CXII. Solet & illud disputari, an pro fit civitati singulariter exceptio alterius tanti usurarum? Cum usuræ sint præter, non contra jus naturale, easque accipere ultra alterum tantum ex illo injusti principio sit, quod dicitur *αδίκον τὰς ἐξέ*, præsentem quæstionem cum Ampliss. Dn. Præside in *disp. de altero tanto* hæc distinctione resolvimus: Vel constat quod in hæc vel illâ provinciâ sit de altero tanto observantia quædam localis, vel de eâ non constat. Primo casu ista observantia vel est juris consuetudinarij, vel juris scripti Romani. Vbi de consuetudine constat, ea in primis servanda est, sive secundum, sive præter, sive contra jus civile sit, & vel simpliciter vel secundum quid; dummodo tamen juri naturali directio non sit contraria. Vbi vero de jure scripto certi quid comparet, illud omnino attendendum veniet. Altero casu, si neque de hujusmodi consuetudinis localis, neque de juris civilis observantia quipiam appareat, tunc sententia juris nostri prævalere debet, particulari enim jure deficiente, ad jus civile seu commune & ordinarium est recurrendum. Verum observantiâ longè aliter inducitur esse, & quod de altero tanto Justinianus Imp. constituit, nec in augustissimo Camerae Imperialis iudicio attendi, nec in Provincijs imperij, paucissimis exceptis, observari certissimum est. Cujus equidem testis nobis exceptione omni major est celeberrimus hujus seculi Ictus, *sum. iud. Appell. Suecan. VVismariensis nunc Vice Præses, Dn. Mævius in discuss. levam. inop. debit. c. 4. sect. 6. quare, inquit, circa alterius tanti moderamen id obtinet, quod moribus invaluit. In nostra Patria*

Patria (Pomerania) rebus multoties iudicatis invaluit, ut solute usura in illius computationem non veniant, solvenda autem non adiu- dicentur ultra fortis quantitatem, nisi debitor in mora fuerit ex iudi- ciali vel extrajudiciali interpellatione constitutus. Eandem in Mega- poli praxin observavi. Ubi non reperitur consuetudine aliud receptam, insistitur iuris communis tenori. Quo certe quid convenientius dici queat Ampliss. Dn. Præsidis sententiæ d. disp. de alt. tant. Dn. Mævio. n. 36. summopere approbatæ, equidem non video!

CXIII. Sunt & alia, quibus universitates quandoque frui posse magni nominis Icti existimant, veluti cessionis be- neficium, exceptio impossibilitatis, remedium novarum tabu- larum, jus competentix, indultum moratorium, exactionis divisio, electio nominum activorum executioni subjugando- rum, datio in solutum, satisfactio per dationem bonorum in antichresin aut cessionem fructuum, relutio & pactum de retrovendendo distractioni ac venditioni adjectum, admini- stratio vel sequestratio bonorum utrorumque tam debitorum, quam creditorum nomine suscepta, æstimatio bonorum, & id generis alia, de quibus inter alios tractant D. Renatus, D. Manzius, D. Bidenbachius, D. Aslum, D. Zypæus, D. Carpzovius, D. Zorerus, D. Tabor, & D. Mævius, qui Ampliss. Dn. Præsidis iudicio quàm optimè illa persecutus est.

CXIV. Illud hoc quoque loco notandum venit, civi- tatem in casibus, in quibus supra illam obligatam esse ostendi- mus, nihilominus restitutionem in integrum ex generali clau- sula, si qua mihi iusta causa videbitur, impetrare, atque hoc be- neficio ab obligationis vinculo semet eximere posse. Henning, Cœd. in consil. 5. de iure civitat. n. 4. Quod tamen ad illos potissi- mum casus spectat, in quibus civitatem absque eo, quod cre- ditor pecuniam in utilitatem ipsius versam esse probet, obli- gari diximus. Illis etenim in casibus, quibus sine versionis probatione non obstringitur civitas, positâ obligatione ne- cesse est ut simul etiam ponamus constare, pecuniam illam uti- liter esse collocatam, atque adeo sine causa imploratur bene- ficium restitutionis: cum etsi restitueretur civitas, nihilomi- nus ex quo apparet pecuniam versam esse in utilitatem ipsius,

De alijs remedijs, quibus ho- dierni Icti calamito- sis debito- ribus suc- currere sa- tagunt

Civitas in casibus, in quibus ob- ligatur, li- cet pecu- nia non fuerit in rem ipsius versa, re- stitutiõne petere non potest.

eam restituere teneretur. *l. un. C. de reput. que si. in iud. l. quod si minor §. 4. de min.* Quare Antoninus Pius & Gordianus Imp. in *l. 1. & 2. C. si advers. credit.* rescripserunt, tum demum restitutionem admittendam esse, si non doceatur, pecuniam in rem versam esse.

Nisi ultra
etiam ci-
vitas in-
teresset.

CXV. Atque hoc quidem in mutuo, & in alijs similibus contractibus eatenus locum habet, quatenus præter pecuniæ restitutionem nihil interest civitatis. At ubi civitas, præter solutionem pecuniæ, læsionem aliquam demonstrare potest (*ut in venditione & alienatione accidit, ubi ipsius non tantum interest, ut pretium acceptum restituat, sed & ut rem venditam recipiat*) tum etsi probetur pretium in rem ipsius versum, atque adeo in eo nullum probabile interesse doceri possit, nihilominus tamen respectu læsionis, quæ aliunde obvenit, beneficio restitutionis uti poterit. *d. l. un. d. l. quod si minor.* Ex quo optimè Hartm. Pistoris *d. g. 37. n. 58.* infert, si etiam in mutuo tale quid interveniat, cujus ratione præter pecuniæ acceptæ restitutionem aliquid inter sit civitatis, tum hoc respectu etiam in casu, quo constat pecuniam in utilitatem ipsius versam esse, etiamnum restitutionis beneficium utiliter competere. Vtpote si pro pecunia mutuo data res aliqua oppignorata esset, plurimumque referret aliâ potius re quam istâ cautum esset creditori: nam tum præterquam quod constaret pecuniam in rem civitatis collocatam esse, hujus læsionis ratione restitui posset civitas.

Restitutio
ut conce-
datur, ne-
cesse est
probare
prius læsi-
onem.

CXVI. Cum autem unicuique fundamentum suæ intentionis probandum veniat, *l. in except. ff. de probat.* & læsio sit unum ex præcipuis fundamentis, quibus nixa est intentio ipsius civitatis petentis restitutionem in integrum, *d. l. quod si minor. §. 1.* regulariter requiritur, ut læsio prius probetur, *l. nam postea §. si minor de iureiur.* & quidem enormis, *arg. l. scio ff. de rest. in integr.* Quod de Ecclesia quoque & monasterio per *cap. pen. de reb. eccl. non alien.* affirmat Mascardus *de probat. vbl. 3. concl.*

Nisi ex
ipsa natu-
ra rei de
læsione
appareat.

1160. n. 28. & concl. 1161. n. 30. Est tamen id eo saltem de casu accipiendum, ubi de læsione alioqui satis non constat, nisi probetur. Nam quando de ijs negotijs agitur, quæ non nisi in apertum alicujus detrimentum vergunt, tum sine ulteriori proba-
tione

247.
tione ex ipsa natura rei de latione satis apparere videtur: ut-
pote si civitas pro alio fidejussisset, vel in rem alterius oppi-
gnorasset res suas. *l. ait prator 7. §. non solum 3. ff. de minor. Berous*
in 6. 1. num. 6. de in integr. restit.

CXVII. De mutui contractu Doctores controversiam
faciunt, an in eo generalis regula restitutionem impetret, ita
ut ad eam impetrandam lationis probatio necessaria sit, an
vero latio ex ipsa contractus naturam eluceat, atque propterea
sine ulteriori probatione restitutionis remedium competat? *In mutuo
an latio
probanda
sit?*

Nos absque lationis probatione in mutuo etiam restituti-
onem concedendam esse affirmamus, ex *d. l. 1. & 2. C. si adv. cred.*
ubi probationis onus non minori petenti restitutionem, sed
potius creditori ab Imp. imponi docet Ciphanius *ad d. t.*
Quod autem jura de minore disponentia locum etiam habeant
in civitatibus atque rebusp., clarissimis verbis testantur Ale-
xander *in d. l. civitas n. 4.* & Nic. Losæus *d. tr. de iure univ. p. 3.*
c. 18. n. 1. Ac de Ecclesia Guilielm. Redeoanus *in tr. de reb. eccl.*
non alien. asserit, speciale esse in mutuo, quando agitur ex eo
contra ecclesiam, quod hæc non teneatur probare lationem,
sed eo ipso præsumatur læsa, quod alleget lationem, nisi credi-
tor probet illud in utilitatem ejus versum esse. Confer Mascar-
dum *d. vol. 3. concl. 1160. n. 25.*

CXVIII. Ut autem civitas hoc restitutionis remedio
uti possit, illud intra tempus legitimum, quod est quadri-
ennium, peti debet. *c. 1. de restit. in integ. in 6. l. fin. C. de temp. in*
integ. restit. Idem de ecclesia, alijsque pijs cætibus asserit Lud.
Molina *d. l. 1. & l. tom. 2. disp. 574. n. 1. & 2.* Qui tamen *seq. n. 3.*
ex Panormitani & Covarruvix opinionibus annotat, Ecclesie
ultra quadriennium beneficium restitutionis in integrum con-
cedi, si fraude ac dolo latio facta fuerit, vel alia rationabilis
causa id suaserit. *Restitutio
intra qua-
driennium
saltem
competit.*

CXIX. Hoc quadriennij tempus ab ipso lationis die
incipit currere, *c. 2. de restit. in integ. in 6.* nisi administratoris
facto læsa civitas fuerit; tum enim à morte vel depositione ad-
ministratores istud quadriennium computari rectè statuunt
Henning. Goden. *in cons. 5. de iur. civ. n. 42.* & Dn. Richter. *in decis.*
71. n. 13. *Quando
hoc qua-
driennium
incipiat
currere?*

III.
Quomodo
dissolva-
tur.

CXX. Atque hæc de secundo nostræ disquisitionis capite dicta sufficiant, reliquum est, ut de tertio, solutione sc. hujus contractus pauca à nobis addantur. Hic enim maximæ incidere solent tricæ, quibus expediendis non levis requiritur labor. Nam quid verius ac magis usitatum illo Plautino? *in Trinummo act. 4 sc. 3. Si quis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum; Quum iam repetas, inimicum amicum beneficio invenis tuo. Si magè exigere cupias, duarum rerum exoritur optio: Vel illud, quod credideris perdas; vel illum amicum amiseris.* — nam ego talentum mutuum Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi. Sed ut ut hic mos non rarò obtineat, manet tamen illud immobile, creditori esse solvendum.

Numeratione ejus
quod acceptum est

CXXI. Solvitur autem mutuum ab universitate ritè contractum numeratione & præstatione ejus, quod acceptum est. *§. 1. inst. quib. mod. toll. obl. l. 80. l. 49. ff. de solut.* Totum vero debitum solvi oportet, nec particularem solutionem creditori invito obtrudere licet, cum ea plerumque damnum afferat, *l. 3. ff. famil. ercis. l. 13. §. 8. ff. de act. emt.* In quibusdam tamen casibus specialibus creditor particularem solutionem accipere cogitur, quos leges traditos à D. Carpzovio *in respons. Electoralib. lib. 5. tit. 9. resp. 99. num. 9. & seq.* & Lindemanno *tr. de mutuo c. ult. th. 71.*

CXXII. Inter eos vero & hic Ictorum judicijs probatur, si ob inopiam sine culpâ suâ misera universitas solidum præstare non valeat, offerat vero quantum facere potest partiali solutione. Hoc solatium quanquam jure expresso non sit suffultum, humanitatis tamen ac æquitatis ratione satis firmatum esse videtur. Et aliter ab universitatibus omnibus exhaustis creditam non consequentur pecuniam creditores, nisi spatium aliquod respirationis admissione particularis solutionis illis concesserint.

CXXIII. Cum autem universitates hoc modo subleventur, vicissim creditoribus quavis, ut fieri potest, cautione fidejussoriâ, aut pignoratitiâ securitatem præstare debent de partiali solutione consequendâ: Id quod si nolint aut non possint, cogentur creditoribus exigentibus integrum solvere, vel execu-

executionem pati. Ita sentit, & ex Colero sententiam suam probat Magnif. Dn. Mævius in *discussion. levam inop. debitor. c. 4. sect. 9. n. 8. ac seq. n. 9.* ait, si, cautione semel factâ, alij creditores in jus vocent debitores bonorumq; adjudicationes petant, non obstantibus conventis aut præfinitis terminis integrum esse ei, qui non nisi particulatim solutionem recipere debuit, audacter resistere ijs, qui in illius præjudicium quidquam tentant: ac ubi illorum petitiones morari non licet, solidum exigere, ne isti præripiant unde suum sperare possent.

CXXIV. Porro novatione, uti quævis obligatio, ita & ex mutuo universitatis quæ oritur, tollitur *l. 1. & 2. & t. t. ff. de novat. Mozz. de mutuo, c. quom. desic. seu quom. solvat. & fin. n. 30.* Similiter & acceptilatione mutuum illud in stipulationem deductum dissolvitur. *§. 2 l. quib. mod. toll. obl.*

Novatione & acceptilatione

CXXV. Cum etiam creditores in recipiendo mutuo nunquam difficiliore esse soleant, & perpetuandarum usurarum causa lites interdum vanas moveant, eaque graves & onerosæ plerumque sint universitatibus, ideo remedio oblationis, depositionis, & consignationis subveniri illis potest. *l. 6. 9. 19. C. d. usur.*

Oblatione, depositione, & consignatione.

CXXVI. Liberatur quoque universitas à mutui nexu, ope exceptionis ex præscriptione, transactione, pacto, juramento, re judicatâ, similibusve causis promanantis. *l. 31. C. de præscr. 30. vel 40. ann. l. 16. l. 20. C. de transact. l. 27. §. 2. ff. de pact.*

Exceptione.

CXXVII. Denique compensando non minus, quam realiter solvendo tollitur hujusmodi mutuum, modò debitum utrumque pariter sit liquidum, *t. t. ff. & C. de compensat. compensatio enim species solutionis est. l. 4. ff. qui pot. in pign. eandemq; vim habet, Grass. in tr. de exceptionib. cap. 16. n. 11. quare à Cothmanno consil. 57. n. 220. vol. 2. brevi manu facta solutio dicitur.*

Compensatione.

CXXVIII. Cæterum cum civitates non semper maneat eadem, sed interdum mutantur & diversæ fiant, non inutile hoc loco videtur inquirere, quo tandem modo eadem civitas, aut non eadem, sed alia dicenda sit? ubi enim dux sunt distinctæ civitates, ibi alia pro aliâ non debet solvere. Dicimus itaque cum Aristotele *3. Pol. 3.* non judicandum esse diversam civitatem

Quomodo eadem civitas, aut non eadem, sed alia dicenda sit?

fam ci-



sam civitatem factam, cum homines locum eundem non incō-
 lunt, add. H. Grot. *d. I. B. & P. lib. 2. c. 9. §. 7.* neque existiman-
 dum aliam esse civitatem, si illi interierint, qui mutuam ac-
 ceperunt pecuniam. Quemadmodum enim fluvios eosdem so-
 liti sumus dicere, eosdemque fontes, etsi semper alia aqua con-
 sequatur, & alia erumpat; sic eandem quoque civitatem ap-
 pellamus, etiamsi alij cives intereant semper, alij oriantur.
 Sed tum demum civitatem mutatam esse judicamus, cum for-
 ma reipubl. est mutata. *Etenim si societas*, ait c. l. Philosophus,
quedam est civitas, eaq; civium societas, certè si reip. mutetur forma
& status, civitatis etiam status mutetur necesse est. Quæ cum ita sint,
 perspicuum est eandem civitatem maximè habita ratione reip.
 esse diceendam.


An exsol-
 venda sint
 nomina
 nec ne, mu-
 tata gu-
 bernandi
 forma?

CXXIX. Sed hæc quæstio oriri solet, cum in aliud reip.
 genus imutatur civitas, an tum teneatur ad solvendum
 mutuum priori statu durante contractum? Si *populus* in Re-
 gio, aut optimorum, aut Politico statu, in quo imperan-
 tes ad commune bonum omnia dirigunt, cœperit aliquid de-
 bere, & ille fuerit everfus mutatusque in Tyrannidem, Oligar-
 chiam, aut Democratiam, novi hi magistratus possunt conve-
 niri, & tenentur debitum à populo sibi subjecto contractum
 solvere, quod commoda inde perceperint; Sin autem *Tyrannus*,
aut Oligarchici mutuum sumserint pecuniam, & quidem cum
 populi voluntate, non desinit debere populus mutato statu,
 quia generaliter in contractus ejus consensit. Sin vero absque
 populi voluntate, non tenebitur populus, nisi pecunia illa in
 rem communem versa sit: quia licet tunc non consenserit in
 debitum, non debet tamen ex damno alterius locupletari. Atq;
 eam ob causam æquum quoque videtur esse, ut populus, vel
 novus eidem impositus magistratus, solvant debitum in Tyran-
 nico aut divitum imperio contractum, si bona tyranni aut
 divitum (ex quibus aliàs solvi debitum posset) sibi propria fece-
 rint, factaque publicatione addixerint.

CXXX. Et hæc de propositâ semel materiâ dicta suffi-
 ciant, nequaquam eo animo, ut si quis rectiora docuerit,
 ejus sententiæ non libenter accedamus.

F I N I S.






Helmsstedt, Diss., 1653/54

ULB Halle

3


004 988 256



TA-OL

W 17





Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

IVRIDICA

UNIVERSITATVM

M

LIANTE

IDE

nsultissimo, atq̃
simo

Hahnen/ ICTO,

ILLVSTRI IVLIA

LTATIS IVRIDICÆ

IGVELFERBYTANI

RECEPTORE ATQVE

O PLVRIMVM

ENDO,

ET EXAMINI

MEIERVS

CENSIS

Augusti

ADI,

I MULLERI

LIII.

KOENFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE

225
1653, 6a
9/1